49

PRO NAVALI ANGLORUM DE BATAVIS VICTORIA

ΣΥΓΧΑΡΜΑ.

SVPREMO

PARLAMENTI:

Reipublicæ Angliæ Senatui, Rerum Summæ Præposito.

Londini, Anno Dom. 1653.

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
ARCHIBALD CARY COOLIDGE
DEC 16 1924

PRO NAVALI ANGLORUM DE BATAVIS VICTORIA.

LAurigerum Cœlo navalibus aucta Coronis,
Anglia tolle caput; roſtratamque ardua frontem
Inſere ſyderibus; quà ſeſe inſignibus Argo,
Oſtentans radijs cæleſtibus incubat undis.
Virtutis graſſare viâ: non otia lactis
Candidiora juvant: tantum tibi picta placebunt
Sanguinis Aſtra notis: quæ Martia, & igne rubeſcunt
Fulmineo, triſtes que jubent ardere cometas.

Talem te nuper jaculantem fulmina classem
Vidimus in Batavam, quæ numine ducta siniſtro
Solis freta odijs: animisque, et viribus impar
Tecum ausa est conferre manus. Ægyptia talis
Sese olim Augusto Classis tulit obvia ponto
Actiaco, talis Salamina ad littora Græcis
Obvia Persarum lævo fuit omine Classis.

Classis Batavorum Tromp Archithalassus.

Trompius innumeras ducebat in æquore Naves,
Mercibus oppletas varijs, magnâque premebat
Mole salum; vastum pelagus, fluctusque patentes
Imminuens, arctansque fretum; quas agmen agebat
Rostratarum ingens; ceu vellet ab hoste tueri.

Blachius Thalassiarches Anglicus.

Blachius at contra, quâ parte Britannia fluctu
Alluitur, velox sese objicit: actus uterque
Invidiæ stimulis, clavis effundit habenas,
Carbasaque intendens calcaria linea subdit.
Increpuere tubæ; sonitu gens uda profundi
Contremuit: Neptunus equis invectus, apertis
Gurgitibus stetit attonitus. Nymphæque natantes,
Tritonesque simul spectatum in littora currunt.
Prælia. Mirantur quâ se ratione lacessant
Vicini populi: queis nulla potentius undis
Gens habet imperium: queis par fortuna, paresque
Fortunæ florentis opes, juxtà que periti
Naumachiæ; doluere omnes; amor omnibus idem,
Omnibus idem horror; spectantque, timentque vicissim,

Fictio Poetica.

Pars

Pars quæcunque cadat. Mox ut videre ruentes,
In partes abiere ſuas : his Belgica laurus ;
Illis at laurus contrà placet Anglica : mentes
Diverſas reddunt ſtudia, & contendere viſa
Numina : ceu quondam recidiva ad Pergama Troiæ.
Neptunus tamen ipſe duas examine lances
Suſtinet æquato, & fatis contraria reddit
Fata, putans ſecum, quò Palma, & funera vergant.
Anglicus invehitur magnâ vi *Blachius* : irâ
Percitus : hunc ingens fert navis, & omnibus unus
Par venit, & comites ſecum averſatur euntes.
Conſenſere Noti : paucæ potuere ferocem,
Præcipitemque ſequi, vento adverſante, carinæ.
Trompius at curâ magis anxius, utitur arte,
Imbellesque adeo quas ducit in æquora naves
Tantum oneri, pretio que aptas (quæ maxima turba eſt)
Colligit, atque aliâ tutas in parte reponit,
Ne pateant hoſti venienti : ac protinus urget
Agmina roſtrata, & ſe viribus objicit hoſtis.
Jamque adeo incipiunt tonitrus, & fulgura viſu
Horrida, & auditu tetra undique : flammea ſævit
Tempeſtas animata odijs ; & ſulphure vivo
Mors occulta volans ; manus hanc humana miniſtrat
Certius, & brevius Parcis. Tres ſtamina rumpunt
Vna, manu triplici : ſed mors & plurima, ab una
Hîc contorta manu, tantò eſt crudelior ira

Blachius *cum paucis hoſtem aggreditur.*

Ars Tromp *& aſtus.*

Nauma, chiæ deſcri tio.

Mortalis: geminatque neces, duplicatque dolores;
Conceptuſque animis incendia parturit ignis
Bellica, corripiens naveſque, viroſque vicisſim,
Inſultans violentus aquis, & fumea circum
Nubila convoluens; partu metuenda rogali
Excutiunt tormenta globos: it fæta per auras
Mortibus innumeris vis flammea; funera utrinque
Cædis eunt, redeuntque vias: ac ſæpe recurrit
Nex intorta neci, reſpondet & ictibus ictus,
Atque impacta pilæ pila diſſilit: utraque pugnat,
Altera in alterius diſſolvitur igne, vicisſim
Se premit, atque perit, proprios experta furores.
Quanta per ingentes ſerpunt incendia ſylvas,
Flatibus aucta Noti, truncoſque, & robora flammis
Corripiunt, vaſtantque nemus: ſunt igne minora
Sulphureo: minor eſt Ætnæ, minor ira Veſevo
Montibus, ardeſcunt cum fortiùs, & vaga circum
Latiùs eructant vicina per æquora flammas.
Obruitur Pelagus roſtris ſulcantibus undas,
Statque metu attonitum, cernit ſævire procellas
In ſe alias majore irâ: furiaſque minores
Fluctibus eſſe videt, ventorum irridet inanes
Præ flammâ dominante minas, plus devorat ignis;
Hauriat ingenti tumidus quàm gurgite Pontus.

e Veneris inchoatum prælium.

Prima dies Veneris commiſit in æquore Naves;
Vidit & ardentes undoſo in pulvere pugnas.

Bla-

Blachius, atque *Deans* turritis navibus hoſtem — Blac. Deans, Duces.
Invadunt Batavum. Stipatus at iſte Carinis
Pluribus obſiſtit: minor eſt ea turba Britannis;
Sed vis major agit: ceu cum ſe plurima fundit
Turba canum geminos allatratura Moloſſos.
Hi virtute valent, numero valet illa, ſed ambo
Dentibus inſiliunt, lacerantque in fruſta minores.
Jam ratis illa locum ſervat quæ claſſe ſecundum, — *Vice-Admiralis Batavorum depreſſa.*
Atque vicem Admiralis agit, percuſſa Britannis
Tormentis patuit per mille foramina ponto
Subſiditque vadis, fundoque immerſa receſſit.
Mox aliæ, atque aliæ, Batavûm periere carinæ — *Novem absorbuta.*
Roſtratæ, validæque decem compage ſolutâ.
Disjiciunt Batavos, Batavorumque arma per undas.
Quarum unam ingentem, quæ tertia fulget honore — *Rear-Admiralis Demerſa.*
Fulmina nitrati lacerarunt pulveris ictu
Multiplici: gemina luctantem clade videres
Inter aquas, igneſque ſimul: diſcrimine in uno eſt,
Parte ardens, & parte madens: in utroque periclum,
Mors utrinque venit: certant hic fluctibus ignes;
Ignibus & fluctus: Scylla eſt in nave, Charybdiſque:
Haud vitare datur. Fugit hic combuſtus ad undas,
Et moritur: fugit ille undas, comburitur igne.
Eſt quem flamma ſimul, ſimul & necat unda: nec uno
Funere corripitur: duplices vita unica mortes
Perpetitur: donec ſe fluctibus abdidit ardens,

Atque

Atque ſuos navis comitata expirat in undis.

Alia Vice-Admiralis capta ab Anglis.

Quæ que alia & ſortem Admiralis, & arma gerebat,
Mille petita globis, penitus diſcerpta, Britannis
Prædæ capta fuit. Septem lacerata fatiſcunt

Septem naves hoſtium diſrectæ.

Navigia, & toto fluitant errantia ponto.
Anglica quinetiam ſenſit diſcrimina claſſis,

Parva Anglica claſſis jactura.

Caro emitur virtus: illa eſt victoria magni
Sanguine quæ conſtat: Lauruſq; adjuncta cupreſſo eſt.
Sed multo jactura minor: quæ prodat honorem

Samſon navis depreſſa. Vnica, nec multæ.

Pugnantis, monſtretque decus. Cognomine Sanſon
Vna igitur, nec multa cadit: bene ſuſtinet omnem
Nominis; innumeris namque ictibus obruta in undis
Mergitur, atque alias ſecum trahit illa carinas.
Vna hæc pro multis periit ratis. Omnibus una
Facta ſalus. Alij, quæ nomine Proſperus, hoſtes

Proſperus navis capta rurſum aſſerta.

Iniecere manum, ſed mox reſoluta receſſit,
Atque iterum conjuncta ſuis: ad littora paucæ
Anglica diſiectæ ſeſe applicuere; propinquum
Effugium cladi exemit, portuque locavit.

Ducum cædes & vulnera.

Mors tamen atra Duces invaſit, & abſtulit una
Egregios: inter tonitrus & fulmina magnas
Emiſere animas. Plures periere Magiſtri,
Victores morte in media: ſua quiſque gerentes
Munera, & officij memores: & vulnera ſenſit
Ingens turba Ducum. Sociis æquante periclo
Excepere ictus capita: & diſcrimine nullo

Sors

Sors habuit cunctos. Summus Dux *Blachius* ingens
Accepit vulnus ferri ſalientis ab ictu,
Quod globus excuſit, femorique alliſit, & altê
Impreſit, ſupraque genu plagam intulit: Aſtra
Indulſere tamen plura in certamina vitam.
Vnde ſalus communis erit, lauruſque Britannis
Aſſidua. Inde *Deans* tormenti turbine penê
Afflatus cecidit: ſed tantùm veſtibus ignis
Hæſit, et audaces revocans à corpore flammas
Abſtinuit membris, puduitque incendere Palmas
Quas meruit. *Tatnell*, *Barkerque* pericula belli
Experti, ſenſere decus, quod vulnere ſurgit
Illato. *Deakons* Dux alter ab igne recepit
Plus decoris, damnique minus; non ſordida laurus
Illa fuit: nulloquæ fulmine tangitur, illa
Fulminibus patuit, quæ bellica gloria condit.
Nec vos præteream, Patriæ tria lumina, terni
Ductores, *Balli*, *Mildmayque* & *Lawſone*, fuſo
Sanguine qui virides peperiſtis in æquore Palmas,
Auxiſtiſque decus; mediaq; in morte Coronis
Tempora roſtratis ad ſydera celſa tuliſtis.
Felices nimium, non vos aut Brutus in haſtam
Fortiter invectus, curſuve in Tartara præceps
Curtius, aut *Decij* devoti in bella ruentes
Exuperant; vos vita manet poſt fata ſuperſtes,
Si quid Muſa valet, ſi quid pia carmina poſſunt.

Blac. *Fe*
mur ictu

Deans *tor*
menti pila
afflatus.

Tres alij
vulnerati.

Tres occiſi.

Tres adeô fera pugna dies deſæviit, unde
Fædior in Batavos ſtrages fuit. Vndique ſerpit
Claſſis Batavorum diſſipata & victa. Ignea tempeſtas, ferroque, ignique procellas
Sanguineas ciet, & jactatas æquore naves
Diſjicit: armatas abigens, nudavit onuſtas
Mercibus auxilio: miſeræ tremuere Britanna
Fulmina, ceu volucres Aquilâ inſectante minores.
In prædam pars magna venit, pars maxima velis
Vſa fugit, totoque errat diſperſa profundo.
Anglica ſanguineo dominatur in æquore victrix.
Colligit attonitus non Claſſem, at funera Claſſis
Miſerabile navium Batavicarum ſpecimen. *Trompius* everſæ. Truncatas ire videres
Antennis, maliſque rates, clavoque carentes:
Diſcerptas alias, laceraſque ex ictibus, undis
Oppletas; Vacuas nautis, & inutile pondus.
Aſt aliæ monumenta manent, fædiſque ſepulchra
Plena cadaveribus; ſtant lignea Mauſolæa,
Mobilia in pelago, pene ipſa cadavera; tantum
Mors potuit: periere homines, periere Carinæ.
Triumphus Blachij. *Blachius* at ſpolijs Batavorum Claſſis onuſtus
Roſtratâ caput impediens inſigne Coronâ
Eminet, ac medio ſe jactat in æquore victor.
Digna Trophæa gerit, proprio cælata cruore:
Ictus; ſed major cui gloria venit ab ictu.
Excipiunt pelagi venientem Numina, plauſum
Tritones fecere tubis, Nymphæque ſequuntur

Canti-

Cantibus, & patrio victorem in littore ſiſtunt.
Vnus ſed Batavis Proteus fugientibus inſtat
Cæruleus vates, funditque has pectore voces.
Diſcite vos Batavi, vosque ó quicunque Britannos *Protei vaticinium.*
Appetitis bello, validos fore ſemper in armis,
Jnvictoſque Anglos: terrâque marique potentes.
Tanta ollis virtus, tanta eſt conſtantia, laudis
Tantus Amor: ſi quis bello violaverit, ille
Haud impune feret: Gens nata, aſſuetaque Palmis
Vivet: & imperium, nomen que æquabit Olympo.

Canebat D. Ameſſo.

F f N f S.